

/ Simeon Vretania Rascianorum Episcopus Ill/mo et R/mo Domino
Roberto Bellarminio Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinali etc. Salutem
et pacem in Christo Domino.

Reverendus dominus Martinus Dobrovitijs mihi voluntatem tum Suae
5 Beatitudinis tum Ill/ae et Rev/mae Dominationis Vestrae circa condi-
cionalem reordinationem aliquorum sacerdotum meorum; ^{9/} cui et teneor
obedire et vellem, si non essem, ut timeo, impedimento irregularita-
tis impeditus ob factum quoddam, quod mihi casu hyeme praeterita
accidit. Et ut solers medicus aegroti cognoscat morbum et per lite-
. / 0 ras (siquidem in persona, tum ratione longinqui itineris Romam usque,
tum ratione aegrae senectutis meae id assequi non possum) vulnus et
vulneris detego livorem. Occidi hominem, proh dolor, in provecta
iam aetate, sacerdos et episcopus existens. Sed quo modo id factum
sit, praemittendae sunt circumstantiae ut ex his fatum iudicetur.
/ 5 Itaque hoc primum sciendum est monasterium S/ti Michaelis, ubi cum
monachis meis habito, esse in loco plane remoto ab hominibus, ita
ut perversi homines, quandocunque vellent, me possunt adoriri. Se-
cundo, cum sim in tam remoto loco, praedones Turcarum septies, ut a
viris fide dignis mihi relatum est, adversum me conspirarunt, sibi
20 persuadentes me ab Urbe in has partes ingentem transportasse thesau-
rum. Idcirco semper in timore et tremore fui ne quod constituissent
toties semel adimpleant. Tertio hyeme praeterita, per aliquot dies,
omnes hae partes ob metum Turcarum in armis erant, ita ut per omnes
circumiacentes arces tormenta reboarent ad indicandas hostium incur-
25 siones. His auditis, dum essem in meo monasterio, magno cum terrore,
ecce, iam nocte obscura, equites et pedites, me insciente, cum sponso
et sponsa, causâ matrimonii, sine ulla praevisâ manifestatione, ad mo-
nasterium accellerant. Quos cum aliquoties interrogarem et obsecre-
rem ut quinam essent, an amici vel inimici, indicarent, cumque nul-
30 lus respondere vellet, arbitratus Turcas adesse, accepto sclopeto
ad defensionem meam praecingo. Sed quoniam aliqua ex parte haesitans

/ suspicabar non esse Turcas, sclopetum ad illorum terrorem in aëra
explodere volens, proh infortunata sors! pulvis accenditur sed ad
fistulam sclopeti ignis immediate non penetrans, sclopetum ad terram
(eram enim in loco eminentiori monasterii) dum inclino, exploditur
5 et tangit quendam iuvenem Rashianum; quod tamen vulnus lethale non
erat, nam globus cutim dumtaxat laceraverat in vertice capitis et
aliquantulum os contriverat. Sed tum apoplexia tactus, tum inscitia
chirurgi neglectus, post decimum quintum diem ex hac vita migravit.
Ah testor conscientiam meam quot lachrimis gembundus ob hoc factum

10 effudi, quot singultus et suspiria ex corde e-
didi. Nam non solum illum factum aliqua ex parte me reddit genti me-
ae odiosum, sed etiam multa bona, quae mihi cum Dei auxilio proposue-
ram, impedivit.

Quare, Ill/me et Rev/me Domine, esto sit hoc factum casuale multi
15 que mihi dicant nullam inde sequi irregularitatem, tamen tutius esse
dixi ut hoc ad Ill/mam et Rev/mam D/em vestram perscriberem, hac spe
ductus, si irregularis per hoc sim, quod Ill/a et R/ma D/tio vestra
dignabitur mihi reconciliacionem apud Suam Beat/em obtinere. Qua bb-
tenta, paratus sum Suae Beatitudinis mandatum adimplere. Neque Beati-
20 tudo Sua de mea suspicetur fide; nam quod in urbe Roma coram Illus-
trissima et R/ma D/e V/ra iuravi et iureiurando promisi, in eo usque
ad vitae exitum perseverabo. Valeat Ill/ma et R/ma D/io V/ra, cuius
in primis sanctissimis precibus, deinde iusto patrocinio me humilli-
me commendo. / Datae ex monasterio S/ti Michaelis in Monte Marchae
25 sub dioecesi episcopatus Sagrabiensis in Croatia.

Ill/mae et R/mae Dom/is V/ae

Humillimus servus

Simeon Uretaniae episcopus Rashianor.

(adresse):

30 Ill/mo et R/mo Domino Domino Roberto Bellarminio Sacrae Romanae
Ecclesiae Cardinali, tituli Sanctae Mariae in Via etc. Domino Domino
et patrono mihi gratiosissimo.

(sigillum)

Romae

Arch. Vat. Gesuit. 19
fol. 313.